



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

De Legatis, De Successionibus Ab Intestato, De Renvnciationibus

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XXI. Romana annuæ præstationis. Facto legato annuæ præstationis  
ad vitam, an legatarius ab invito hærede petere possit assignationem tot  
bonorum, ex quibus dictam præstationem manu sua ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74076](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74076)

cientia virium hereditiarum, intrat dubitatio, an debeat potius hæres supplere majorem redditum ad id necessarium, vel è converso ipsum pium opus minuendum sit; Et pro diminutione operis latè agit *Brixianus in repertor. decis. Canalcan. verbo verba*; È converso autem pro augmento stipendij, seu suppletionis, ita ut opus non minuatur *Genuen. in practicabil. Eccles. quæst. 179. Ricc. Diana*, & cæteri, de quibus *Barbos. de Episcopo alleg. 29. numer. 7.*, & *Tondur. & alij de quibus dicto disc. 14.*; Sed pariter hic non erat casus; Tum quia penes hæredem non aderant alia bona, ex quibus suppletio fieri posset; Tum ob cessantem rationem, cui hæc posterior opinio innititur, nè scilicet disponentis anima eo majori suffragiorum numero priveretur, cum in hac facti specie redditus quamvis diminuti longè excederent præmium missarum, & onerum per testatorem singulis cappellanis adjunctorum.

Tertius est casus, ubi testator dotat Ecclesiam de certo annuo redditu præstando per hæredem, quem liberatum esse disponat cum solutione certæ summæ in forte principali, ex qua investienda testator opinabatur eundem redditum percipi posse, & tunc si ex summa per hæredem soluta id non sequatur, intrat dubitatio, an teneatur supplere, & de hoc punctualiter agit in *Camerinen. actis Eccles. 22. Junij 1650. & 9. Maij 1653. coram Melio*, quarum prima est *decis. 62. par. 11. rec.*, ubi deciditur ad favorem hæredis, quoniam huic ad liberationem obtinendam sufficit præstasse summam à testatore sibi demandatam, ut advertitur *eodem disc. 14.*

Quartus casus est, ubi testator ab initio, ultra ejus vires disponit, faciendo plura legata pia, vel respectivè prophana, ac demandando plura opera, quibus omnibus, bona hereditaria non sufficiant; Et tunc intrat questio contributi, an istud æqualiter de omnibus faciendum sit, vel potius legata seu opera pia debeant prius integrè impleri, atque de hoc agunt *Rouit. decis. 87. Franch. decis. 236. Cappc. Latr. decis. 12. Rub. de testam. ad pias causas cap. 66. num. 14. cum seqq.*, ac habetur alibi a *Etum hoc eodem titulo*, sed pariter non erat iste casus questionis, cum de tempore tam primæ, quam secundæ erectionis, redditus ad integram summam à testatore destinatam essent sufficientes.

Quintus demum est casus controversiæ, ubi scilicet testator omnia ejus bona destinavit in certa opera, ad quæ juxta summam ab eo præscriptas, tunc illa sufficiebant, deinde verò diminuta sint, neque diminutio suppleri possit ex alijs bonis, sed solum intret dubitatio, an potius ipsa opera minui debeant; Et isto casu dicebam, ut sine dubio respondendum esset pro diminutionis exclusione, quoties id, quod pro singulo opere superest, sufficit ad necessitatem, ideoque sola deficientia est in ea majore provisione, quam disponens ad exuberantiam, seu honorificentiam præscripsit, ex regula, quam ex mente *Sac. Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 15.* habemus in materia suppressionis canonicatum, vel beneficiorum ecclesiasticorum, quoniam si certus numerus canonicorum, seu beneficiorum cum pinguì præbenda, seu provisione erectus est, non ex eo, quod deinde redditus dimi-  
nuantur, fit locus suppressioni, nisi in casu magnæ tenuitatis, & inopia, ob quam Ecclesiæ cultus defecet ex deductis per *Barbos. ad idem Conc. ubi supra. & de potestate Episcopi alleg. 67. num. 1. cum sequen.*, & *de Canonicis capit. 3. numer. 18. cum sequen.*, diu attento etiam isto redditu sic diminuto in casu cujuslibet vacationis, multi habentur

concurrentes, qui ad hujusmodi cappellaniam assequutionem anhelent; Unde propter hæc cessat ratio desertionis cultus, ob quam suppressionis locus aperitur; Neque urgebat ratio diminutionis suffragiorum, dum currentes redditus superabundabant, ideoque contentio erat de dampnatione cappellanorum.

## ROMANA

## ANNVÆ PRÆSTATIONIS

P R O

## FRATRIBVS DE MARESCOTTIS

Responsum pro veritate.

Facto legato annuæ præstationis ad hæredem, an legatarius ab invito hærede petere possit assignationem tot bonorum, ex quibus dictam præstationem manu sua percipere potest. Et è converso, an hæres dictam assignationem legatario invito facere valeat. Et legatarius impedire possit hæredis vacationem officiorum vacabilium in persona legatarij persona tantum, ut eorum emolumentis legatam præstationem obtineat.

## SYMMARIVM.

- 1 **F** Acti series.
- 2 **F** De questione an legatus annuæ præstationis debeatur bona, quotiens reddant.
- 3 Legatum relitum in titulo institutionis non est capiendum à manu hæredis.
- 4 Facto legato annuo de certa quantitate vinearum, rest assignari vinea.
- 5 De materia text. in l. si quis argentum C. de bonat.
- 6 De diversitate rationis in hac materia inter hæredem, & legatarium.
- 7 An relicto assignamento de aliquibus bonis alternativè fieri possit electio partium de uno, & partim de alijs.
- 8 Alternativa quandoque solvitur in corpore, & non in re.
- 9 De eodem text. in l. si quis argentum.
- 10 Usufructuarius non impedit proprietarij vacationem proprietatis.

## DISC. XXI.



Omnes Sforzia de Marescotis merosam habens prolem, cum plura officia vacabilia, præstavit illud Præsidentis Camera in persona unius ex filijs, qui in Præsentia ratione dicti officij se contulit, cum libera reservatione decreti ad ejus favorem; Mortuus autem instituto hærede filio primogenito in cultu Vignanelli, alijsque bonis, facti que alijs prædictis dispositionibus ad favorem aliorum filiorum dicto filio Prælati, reliquit ad vitam pro ejus decenti sustentatione in eo statu Prælati

nam præstationem scutorum 2500. circiter, percipiendam, vel ex fructibus officiorum, vel ex alijs effectibus hereditarijs Urbis; Cumque sequuta morte, inter hæredem, ac Prælaturam, retenta magna benevolentia, aliqua discrepantia super modo implendi dictum legatum orta esset; Hinc super tribus ab utroque concorditer tanquam communis amicus, & Advocatus, pro veritate consultus fuit; Primò scilicet an legatarius invito hærede prætereundere posset assignationem tot honorum, vel effectuum, ex quibus manu sua dictam præstationem perciperet; Secundò è converso, an hæres legatario invito dictam assignationem facere posset, ita, & taliter, quod quicumque futurus casus, sive bonus, sive malus, ipsius legatarij damno cederet; Et tertio, an hæres in vim reservationis decreti, cogere posset eundem legatarium ad venditionem officiorum.

Ad primum respondi, quod inter DD. in quaestione est, an legato annuo redditu, legata censeantur tot bona, ex quibus ille percipi valeat ad terminos textus in *l. si quis argentum Cod. de donat.*, vel potius singulis annis præstatio solvi debeat; Plurimæque volentibus, ut id prætendi non valeat, ex regula, quod legatum capiendum est à manu hæredis, ut ceteris relatis firmat *Surd. de alim. rit. 9. quest. 41. num. 12.*; Alijs verò sententibus contrarium, ut censeantur legata tot bona, quæ legatario danda sunt, ut manu sua redditum ex eis percipiat ex deductis per *Soccin. jun. conf. 60. num. 34. & seqq. lib. 4. Surd. conf. 319. numer. 7. & per tot. Rota apud Buratt. decis. 487.*; Et conferunt pro eadem opinione ea, quæ in legato alimentorum habentur apud *Pen. decis. 115. 4. & decis. 194. n. 69. par. 7. rec.*; Potissimè verò ubi non agatur de simplici legato, quod extraneo factum sit, sed de illo, quod sit factum filio honorabili titulo institutionis, quo casu non intrat regula, ut legatum capi debeat à manu hæredis ex deductis apud *Buratt. dicta decis. 487.*

Retenta verò hac secunda opinione, quæ magis recepta videtur; Hinc proinde, tam in primo, quam in secundo puncto respondendum esset pro eo, qui hanc assignationem peteret, vel respectivè facere vellet, cum ex natura correlativorum, utriusque puncti, seu dubij, eadem sit ratio, eademque resolutio; Ad quod conferunt ea, quæ ex *Baldo in eadem l. si quis argentum num. 6. & Tiraque. de veritat. consangu. §. 1. glof. d. num. 20.*, & alijs, habentur apud *Capo. Latr. decis. 11. num. 4.*, quod scilicet factò legato annuo Religiosis tot salmarum vini, possit, vel respectivè debeat eisdem assignari vinea, quæ dictam vini quantitatem fructare solita sit.

Verùm his nõ obstantibus, contrarium in hac facti specie dixi verius videri, quoniam præmissa procedunt, ubi legatum esset indefinitum, ac perpetuum, undè propterea, ex dispositione, vel ratione dicti textus in *l. si quis argentum*, dici possent legata tot bona in proprietate; Et de cuius textus dispositione habetur præsertim per *Rotam in Romana supplementi datus 5. Decembris 1653. coram Cerro*, & insinuat in *Romana fideicommissi de Cessis sub rit. de fideicom. disc. 134.* & alibi; Secus autem ubi [ ut in præsentis ] agatur de annuo legato ad vitam pro sustentatione in eo statu, in quo testator filium legatarium constituerat, cum tunc, neque ratio, neque dispositio dicti textus intret, ut admittunt iidem *Soccin. dicto conf. 60. & Surd. dicto conf. 319.*, ideoque remanet legatum quantitatis, non autem speciei.

Dicebam tamen, quod in hoc proposito aliqua dignosci videatur claudicatio inter hæredem & le-

*Carr. d. de Luca de Legat.*

gatarium, ut scilicet legatario volente exigere assignamentum ex iisdem officijs, alijsque effectibus Urbis, id ei negari non deberet; Tum ex voluntate testatoris ita disponentis, dum dixit dictam præstationem percipi debere, vel ex officijs, vel ex bonis Urbis tanquam magis promptis, & explicitis; Tum etiam ex officio, seu arbitrio Iudicis, ne singulis annis, ac temporibus cogatur ille, qui in Prælatura statu constitutus est, ac propterea in dies indiget pecunijs pro ejus sustentatione, habere incommodum exactiois, atque denegata prompta solutione, litem suscipere, juxta ea, quæ in praxi recepta sunt de alimentorum assignatione faciendâ clerico debitori juxta dispositionem textus in *cap. Oduardus de solut.*, cum similibus.

Secus autem in casu converso, ideoque intraro non videtur ratio correlativorum, ratione subjectæ materiæ, seu qualitatis legatarij constituti in statu Prælaturæ, cujus ratione, juxta cursum Curia, munera pro servitio sedis Apostolicæ in Præfecturis, ac Nuntiaturis exercere oportet [ut merito, atque commendabiliter in hoc Prælatore contigit, qui post aliquas Præfecturas munus Inquisitoris Insulæ Melevitanae, deindeque Nuntiaturæ Poloniæ exercuit, & nunc illam Hispaniæ exercet]; Et consequenter incongruum esset, ut cogendus veniret tot bona accipere, quorum cultura, ac administrationi vacare cogereur, cum incerto etiam fructu, ob casus, qui in fructibus ratione sterilitatis, vel ex alio accidenti contingunt; Ideoque diversa est ratio hæredis, ac legatarij, neque correlativorum æqualitas intrat ob rationis diversitatem.

Et quamvis quaesitum etiam esset, an legatarius hoc assignamentum à testatore demandatum alternativè, vel in officijs, vel in alijs bonis Urbis, eligere posset de utraque specie; Atque in hoc dicerem, quod de stricto rigore juris id non liceret per *text. in l. ex toto §. si ita legatum ff. de legat. 1.*, ubi deciditur, quod legato certo numero servorum, vel eorum æstimatione ad rationem scutorum decem pro quolibet, non potest legatarius eligere partim de servis, partim de pecunia, atque ita ex eodem textu notant ibidem *Ripa, Taf.*, & alij, de quibus *Grat. disp. 248. num. 31.*; Nihilominus credebam, ut etiam in hoc præclusum non esset Iudicis arbitrium, ex dicta ratione interponendum, ex recepta propositione; de qua in omni ferè materia præsertim *sub rit. de fideicom.*, & sub altero *de credito*, ut non semper alternativa capiendâ sit in ejus propria, ac naturalis significatione, sed quandoque resolvatur in copulativam pro facti qualitate, quodque testator bona Urbis cumulaverit cum officijs in gratiam legatarij, præsertim dicta ratione accedente.

Ad textum verò in *dicta l. si quis argentum*, responderebam, illius dispositionem procedere in gratiam donatoris, ut ita ab eo onere se liberaret, ut advertunt communiter Scribentes; Secus autè favore hæredis contra legatarium, qui in hac parte censetur prædilectus ex deductis per *Surd. de alim. dicto rit. 9. quest. 40. num. 32. & quest. 41. num. 10. & per tot.*; Et in summa ista videtur, ad instar aliarum, quaestio potius facti, quam juris, certam, ac determinatam regulam non recipiens, sed in singulis casibus pro facti qualitate ex verisimili testatoris voluntate, sive ex qualitate legatarij, vel operis, prudenti Iudicis arbitrio decidenda.

Demum quoad tertium, & ultimum quaesitum; Quamvis *Surd. dicto conf. 319.* plura jura ponderet ad probandum, quod hæres in præjudicium legatarij, eoque invito, alienare non possit bona, ex quibus annua præstatio ab eodem legatario obtinenda est;

est ; Attamen contrarium in hac facti specie dixi verius per textum expreffum in l. fundi Tribatiani ff. de usu, & usufruct. legat. cum concordantibus, de quibus sub titulo de servit. disc. 65., ubi de conclusione, quod per legatum usufructus, vel habitationis, non impeditur hæres dominus proprietatis illam vendere.

Clarius autem in hac facti specie, dū agebatur de officijs vacabilibus periculo vacationis subjectis, cum perpetuo præjudicio hæreditatis, ac successorum, stante perpetuo, ac successivo fideicommissio ordinato per eundem testatorem, & cuius verisimili voluntati id aduersari videtur, ac etiam ex axiomate, ut quod uni non nocet, & alteri prodest &c.

Hæc respondebam ut mihi vera viderentur in puncto juris ; Laudabam verò magis prudentialia temperamenta inter fratres benevolos congrua, ut sequutum fuit.

ROMANA LEGATI

PRO

ANNA DE GVARDIA

CVM

PETRO DE LVPIIS.

Casus disputatus coram A. C. postea concordatus.

De legato annuæ præstationis relicto ei, qui in eodem testamento deputatus est tutor filiorum testatoris, an, & quando cesset ob tutelam recusatam, vel aliàs cessatam tanquam ipsius correspectivum, necnè.

SVM MARIVM.

- 1 **F** *Acti series.*
- 2 *An legatum factum tutori cesset ob cessatam tutelam, datur distinctio.*
- 3 *Quod indistincti cesset, neque dicitur distinctio inter.*
- 4 *Quando hæc secunda opinio procedat.*
- 5 *Quod ista sit questio voluntatis, & facti, & quomodo decidi debeat.*
- 6 *Ut in dubio præsumptio stet pro cessatione legati.*
- 7 *De circumstantijs facti pro ademptione, vel e contra.*
- 8 *De eodem.*
- 9 *De alio casu controversia super eodem puncto.*
- 10 *Transitus ad secunda vota non est causa ademptionis legati, sed bene iuratum cum disertione tutela.*

DISC. XXII.



De Guardia, Annæ filix in pupillari ætate existenti, in testamento tutorem, & pro tempore curatorem deputavit Petrum, cui cum expressione amoris, & benevolentix, ac etiam in remunerationem incommodi, & laboris, ac aliàs omni meliori modo, reliquit annua scuta 20. ; Cumque ante obitum idem testator dictam filiam nu-

ptui tradidisset, atque in apoca dotali declarasset, quod eam eximèbatur a tutore, vel curatore in re-administrationem in sponsum, ac respectu pro tempore virum; Hinc propterea, sequuta morte testatoris, orta est controversia inter dictos Annam, & Petrum, super dicti annui legati præstatione, quam hæres cessatam esse dicebat, ob cessationem legatibus tantum causæ Patronis hinc inde, proinde decretum relaxationis mandati pro prima annuitate ad favorem Patri, ideoque iuxta frequentem consuetudinem Curix in hoc Tribunali A. C. quæ Iudicibus primæ instantiæ, assumendi Advocatum post causam jam vulneratam ], ad Annæ defensionem evocatus fuit; Et quamvis iustitiam obcedenda pro hærede more Advocatorum nimirum agerata fuissent; Nihilominus cum causa non fore integra, atque ageretur de puncto conscientix, quo nimirum operatur arbitrium Iudicis, curæ etiam meam benevolentiam Petrus septem annis habebat, idcirco eum à decreto remotionis potuerunt, atque me etiam cõsultante, hanc concordia controversiam terminavit.

In unica igitur disputatione habita, Disertissimus scribens pro hærede, quod in hoc puncto, an tutor, cui legatum relictum est à testatore, qui eandem tutorem, vel curatorem ejus filiorum deputavit, illud assequatur cessata tutelæ, vel curæ administratione, duas habemus opiniones, Unam Selyen, per aliorum sequentium distinctionem traditam per text. in l. Neseñsius ff. de excusat. tutorum, quæ dicitur cesset illud legatum, quod conficitur in tutelam, vel curæ relictum esse, non autem illud, quod relictum sit principaliter intuitu personæ, quodque aliàs etiam sine tali onere testator fuisset relicturnus, atque hanc sequuntur plures relati per Guertier, quæ eam sequitur, magisque communem dicit in tract. de tutel. par. 1. cap. 22. numer. 24., & referunt Hodiern. ad Surd. dec. 38. Cap. Latr. consil. 106. num. 24. Carp. de excus. test. lib. 2. cap. 1.

Alterà verò est opinio Lucibi de Belofia, & Romanæ, ac sequacium volentium, ut in iustissimo distinctio procedat de jure antiquo Disertissimus, sed autem attento jure novissimo Anthoniæ, & hinc, & aliis omnibus aurb. de hæred. & falsis, quam sequuntur, ac veriores probant Adnoch qui alios congerit lib. 4. præsumpt. 124. Surd. Baz. & alij cumulatim per Carp. dicta quest. 18. & Cap. Latr. dicta consil. 106. num. 11. cum seqq. ut scilicet indistincti dicitur jure attento, si vè legatum relictum sit intuitu personæ, si vè non illud cesset, tutelæ non acceptata, vel recusata; Undè propterea scribens more Advocati, atque congestis auctoritatibus relatis per legatos, ostendere conabar, quod hæc est magis communis, & recepta, proindeque nil suffragatur, an legatum prædictum diceretur principalem relictum ob causam amoris, & benevolentix præ expresse; ut insistebant scribentes in contrarium.

Reflectendo autem ad veritatem, dubitandum non est, quod opinio, quæ licet magnum habeat respectum cumulum, nihilominus, ut pluries expressum, non de facili in foro recipitur; Adhuc tamen cessabat ejus applicatio ad factum, cum ea prohibe-liter recipienda videatur in casu culposæ recalcitrationis, vel respectivè dimissionis, tanquam in partem ingratitudinis, quæ ita erga testatorem à legatario committi videtur, undè propterea ex præsumptione indignatione, tacita, seu præsumpta ademptione...

De L. U. de testament. et cat. 9VI